

Hibernumque gelu nudo tolerare sub axe,  
 Atque uri æstivi sidere lœta canis.  
 Nec vestis ratio, nec mensæ regmina palmas  
 Præbebant, lautas amnis, & herba dapes.  
 Nec famæ ratio: nesciri dulce, nec ullo  
 Esse loco: &, si quis læserat, aut taciti  
 Perferre, aut meritos sese pejora fateri,  
 Optantes temni, sub pedibusque teri.  
 Felices animæ! nimium at miser, & male fortis  
 Ipse, omnis terret cui male cor pavidum  
 Ærumna, atque labor; mihi, qui nil quærere quidquam  
 Ipse ausim pauxillo asperius, leviter  
 Quod sensumve aliquo pellat, mentemve dolore,  
 Quin & sponte sua quæ obveniunt, renuam  
 Ferre libens, nec vel ratio, vel pulchra parentum  
 Hæc exempla queunt, vñ miser! efficere  
 Fortis ut aduersæ quæ res, duræque vocantur,  
 Amplectarque volens, & rear esse bonas.  
 Ergo aliquid majus promendum; surge, reperta est,  
 Surge anime; est omnis jam medicina mali  
 Prima reperta. Dei proles, Deus ipse medelati  
 Fert veniens cœli sedibus e patriis.  
 Tempus erit, monte in celso præcepta beatæ  
 Quum vitæ incipiet pandere, quumque inopem,  
 Iactatumque odils, foeda & maledicta ferentem  
 Felicem dicet, gaudia lœtitiae  
 Cui fas ingentis soli gaudere, relatuum  
 Quod se cœlestes jam sciat in tabulas;  
 Felices Divum tabulas, Rex ætheris alti  
 Scribit ubi auratis nomina sancta notis.  
 Vñ contra miserum ridenti, æternaque monstrat  
 Servari horrendo in carcere supplicia.  
 Hæc, & plura olim verbis: infans bona multa  
 Ærumnæ exemplo nunc docet ille suo